

INDEX SCHOLARVM

QVAE

SVMMIS AVSPICIIS

REGIS AVGVSTISSIMI

G V I L E L M I II

IMPERATORIS GERMANICI

IN

VNIVERSITATE FRIDERICIA GVILELMIA RHENANA

PER MENSES HIBERNOS ANNI CIƆIƆCCCLXXXVIII—LXXXIX

A DIE XV MENSIS OCTOBRIS

PVBLICE PRIVATIMQVE HABEBVNTVR

Inest EDVARDI LVEBBERTI *commentatio de Pindaro theologiae Orphicae censore.*

BONNAE

APVD MAX. COHEN ET FILIVM (FR. COHEN).

RECTOR ET SENATVS
VNIVERSITATIS FRIDERICIAE GVILELMIAE RHENANAE
CIVIBVS
S.

1. Animorum Pindari aetate in rebus divinis perscrutandis motus et studia. Dogmatis de Morte Bacchi duplex forma discernitur, altera Delphica, altera Orphica.

Magnus fuit Pindari aetate animorum in rebus divinis perscrutandis impetus. Multi sanctissimis flammis exarserant ad eos thesauros apprehendendos, qui in hac terrestrium rerum fragilitate et instabilitate soli aeterno fulgore splendent. Admiramur hercle his nostris temporibus altissimos illius aetatis et sublimes sensus, qui in divinae naturae recessus et profunditatem tantopere se insinuarint. Admiramur flagrans illud desiderium, quo praestantissimi viri, saeculi sui decora, oculos a mundo circa nos contemplando ad mundum in pectore examinandum converterunt. Eorum vero motuum atque generosissimorum conatuum caussae potissimae fuerunt primum philosophiae tunc magis magisque exorientis, inprimis Pythagoricae, lucentes radii; deinde mysteria latius atque latius semper propagata, in eis vero praecipue Orphicae theologiae semina, quae praestantissimis praeceptis et rapientibus ad res divinas cognoscendas cogitatis hominum mentes implebant. Iam vero haec nobilissima studia, has contentiones, has saluberrimas interdum discordias intueri summa profecto voluptas est. Atque unum tunc erat inter problemata illa inprimis magnificum et ad sursum trahendos animos efficacissimum, vi quadam stimulatrice et incantatrice praeditum, quod omnium studia maxume occupata tenuit: *dogma de Morte Bacchi*. Eius vero duplex forma et quasi facies discernenda est; altera, quam priscam Delphicam vocare licebit, altera, quae Orphica fuit. Secundum Delphicam formam Bacchi caedes nihil aliud est, quam extremum quoddam ac sane atrocissumum rebellantium contra deos Olympios Titanum facinus, quod proelii paene, atque iniquissumi proelii, quippe in quo unus adversus quattuordecim dimicaret, vim habuit. In Orphica vero huius dogmatis forma longe aliud quid maxume urgebatur; in ea omnia hunc potissumum finem spectant, ut ex Bacchi illa caede genus hominum ortum

suum cepisse appareat et ut Bacchus eum in modum trucidatus, deinde ex morte expergefactus et resurgens palingenesiae et immortalitatis sponsor et vindex certissimus informetur.

Orphicis vero, cum ex Titanum a Iove fulmine percussorum favilla et cineribus primos humani generis parentes et auctores ortos docerent, plane necessario talis dogmatis forma et effigies procudenda erat, in qua caedes Bacchi a Titanibus primum verubus affixi, deinde cocti et comesi, minutatim et per omnia crudelitatis specimina effingeretur, quoniam illud potissumum manifestum fieri oportebat: aliquam illius laetitiae mundi, suavissimi dei Bacchi, particulam in uniuscuiusque nostrum, qui homines sumus, animo residere. Haec igitur huius dogmatis duplicitas magnarum istis temporibus discordiarum — sed discordiarum, opinor, salutarium atque in summo proposito, vero inveniendo, concordium — caussa fuit. Habemus vero earum turbarum eximias et electissimas reliquias apud Pindarum. Nam Pindarus in universum quidem summus sane est Orphicae theologiae admirator et cultor. Etenim praestantissimum illud dogma, quod religionis Orphicae fundamentum est, de animarum migratione toto pectore amplexus erat. Nam quod theologi illi tradebant: animas nostras propter culpam aliquam admissam e vita olim caelesti in hanc terram tanquam in exilium expulsas esse et post compluria demum vitarum spatia percursa, deorum venia et misericordia impetrata, in patriam illam caelestem reverti posse, haec pulcherrima hercle theologumena omnia Pindarum inenarrabili desiderio et amore commoverant, quom in hac redeundi in caelum spe ingentem ad virtutem stimulum inesse persuasum haberet. Itaque facile est ad divinandum, quam invitus, quamque quasi reluctanti animo poeta religiosissumus in illo de Bacchi morte dogmate ab amicorum placitis discesserit et in hac una, licet gravissuma re pontem abruperit, tesseram cum eis fregerit. Verum enim vero mirifica illa et — sit venia verbo — inficeta Orphicorum narratio de Titanum epulis, in quibus Bacchi pueri in frusta dissecti, membra illi comederint, in quibus gradatim et minutim per singula crudelitatis exempla tanquam in laniena tota actio depingebatur, haec inquam narratio indigna divino nomine, divina maiestate Pindaro videbatur; eademque constantia illud de generis humani primordio et ortu dogma reiecit. Pindarus igitur in hoc sententiarum de rebus sanctissumis certamine, suo iudicio fretus et unice veri inveniendi, autumandi, testandi studio ductus amicorum Orphicorum placitis adversatus et priscae theologiae Delphicae propugnator et defensor exortus est.

2. Orphicorum inficetum prima specie dogma de Baccho a Titanibus comeso ex intimis eius theologiae decretis de Anthropogonia explicandum est. Dogma Orphicum de fatali atque infausto Iovis erga Bacchum amore.

Illud quoque, quod fortasse quis quaerat, cur ne unguem quidem transversum de sua sententia Orphici concesserint in turpi illa epularum Titanicarum descriptione, facile

expediri potest. Etenim hisce profecto epulis totius dogmatis caput, flos et palladium continebatur: haec saxorum instar inconcussa spes: in nostras, hominum, animas divinam aliquam Bacchi particulam concessisse, quam Bacchus ex morte resurgens agniturus, dilecturus, secum ad aeterna aeternorum abducturus sit. Iam igitur cum in hoc certamine neuter neutri quidquam concedere posset, quin theologiae sua fundamenta ipse quasi convelleret et labefactaret, mirifico hercle fato illud evenit, ut duo illi rerum divinarum et religionum acerrimi atque sincerissumi propugnatores strictis armis inter se tanquam in proelio concurrerent. Ambobus id unum in universa vita propositum erat, ut cum his rebus terrestribus quam arctissuma coniunctione caelestia copularent. In via, qua id propositum consequerentur, ut fit, alter ab altero vehementer discrepabat. Huius igitur animorum nobilissimorum et sacra aenigmata volventium seditionis et certaminum historiam contexere et adumbrare, nonne magnopere operae pretium sit et dignum, in quo studiose elaboretur? Id vero ut recte et ordine fieri possit, nunc primum dogmatum illorum, adversa fronte sibi repugnantium, natura et proprietas accurate exponenda est atque de omnibus singillatim quaerendum.

In Orphica igitur theologia rerum progressus et decursus hic fuit. Iuppiter filium Bacchum e Proserpina susceptum, puerum dulcissimum, inenarrabili amore amplexus est. Hic mirificus dei Optimi Maximi amor secundum Orphicos hanc haud dubie vim habet, quod amor vere divinus non is est, qui perfectissima tantummodo et praestantissima, omnibusque numeris absoluta prosequitur, e quibus amoris ille largitor laetitiam et gaudium sibi capiat, sed is potius amor, qui debilia adhuc et aliena ope egentia, interitura et caduca, amplectitur. Hac enim re deus summus divinitatis suae summum documentum dat, cum paupera, moritura, infirma diligit. Atque Orphici profecto cum ita super hac re statuerent, sapientissume, ni fallor, iudicarunt. Cum igitur puerum, qui est mos parentum, potissumum in sero genitis, Iuppiter incredibili amore foveat, potentiae suae insignibus eum induit, sceptro et fulgure, deinde in suo solio considere iubet; Nonnus Dionys. VI, 164: Περσεφόνης γονόεντι τόκῳ κυμαίνετο γαστήρ, || Ζαγρέα γειναμένη κερόεν βρέφος, ὃς Διὸς ἕδρης || μοῦνος ἐπουρανίης ἐπεβήσατο, χειρὶ δὲ βαιῇ || ἀστεροπὴν ἐλέλιζε· νεηγενέος δὲ φορῆος || νηπιάχοις παλάμῃσιν ἐλαφρίζοντο κεραυνοί. Eximie paterni amoris nihil filiolo negantis affectum et oris pueruli balbutientis blanditias Euius satyrus depingit apud Nonnum X, 293 Iovem ita compellans: Νηπιάχῳ μὲν ἔειπεν ἐμὴ τροφὸς εἰσέτι Ῥείη, || ὡς στεροπὴν Ζαγρῆι πόρες, προτέρῳ Διονύσῳ || εἰσέτι παππάζοντι, τεὴν πυρόεσσαν ἀκωκὴν, || καὶ βροντῆς κελάδημα καὶ ἠερίου χύσιν ὄμβρου, || καὶ πέλε δεύτερος ἄλλος ἔτι βρέφος ὑέτιος Ζεύς. conf. Eugenium Abel, Orphica, Lips. 1885, p. 226. Deinde Bacchum oratione habita Iuppiter omnibus deis ut novum quendam mundi gubernatorem praeponit; Proclus in Plat. Cratyl. p. 59 (conf. Lobeck, Agl. p. 552 et Eugenium Abel, Orphica p. 228): ὁ πατὴρ ἱδρύει αὐτὸν ἐν τῷ βασιλείῳ θρόνῳ καὶ ἐγχειρίζει τὸ σκῆπτρον καὶ βασιλέα ποιεῖ τῶν ἐγκοσμίων ἁπάντων θεῶν· Κλῦτε θεοί, τόνδ' ὔμμιν ἐγὼ βασιλῆα τίθημι. Et Proclus in Tim. V,

p. 334[d]: ὁ γὰρ Ζεὺς βασιλέα τίθησιν αὐτὸν ἁπάντων τῶν ἐγκοσμίων θεῶν καὶ πρωτίστας αὐτῷ νέμει τιμὰς, Καίπερ ἐόντι νέῳ καὶ νηπίῳ εἰλαπιναστῇ. Denique Iuppiter in concedendo de sua maiestate iusto ulterius progressus nimia ista indulgentia ceterorum deorum invidiam et indignationem movit, cum omnia, quae ipse sanxisset, Baccho denuo sancienda traderet; Proclus in Tim. V, p. 336[a]: Κραῖνε μὲν οὖν Ζεὺς πάντα πατήρ, || Βάκχος δ' ἐπέκραινε.

3. Orphicorum de Bacchi crepundiis dogma. Inter ea quid sibi velit πόκος apud Clement. Alex. Protrept. II §. 18.

His nimiis blandimentis privigno oblatis Iuno noverca adeo in iram accenditur, ut caede grassandum constituat, Titanibus in societatem consilii adsumptis. Itaque Titanes cum puerum plerumque a Curetibus bene curatum et custoditum vident (conf. Suidam v. περιπηχύναντες e Callimachi Aetiis; et Schneiderum in Callimacheis II p. 550), ut aliquam occasionem necopinantem adgrediendi sibi pararent, varia et gratissima puerili ingenio oblectamenta, crepundia (ἀθύρματα), Baccho largiuntur. Eis rebus operam dantem ac ludibundum certo opprimi posse confidunt. Ipsis laetitiae instrumentis mortem machinantur. Quam ob rem eorum crepundiorum nugarumque puerilium, quae ultimae dilectissumi dei habentiae fuerunt, memoria Bacchi cultoribus sanctissima semper fuit, atque in sacris Bacchicis earum recularum effigies sollemniter coluntur. Atque illud quidem, quo maxume puerulus delenitus videtur, speculum, Volcanus cuderat; Proclus in Tim. III, 163[f]· τὸν Ἥφαιστον ἔσοπτρόν φασι ποιῆσαι τῷ Διονύσῳ, εἰς ὃ ἐμβλέψας ὁ θεὸς καὶ εἴδωλον αὐτοῦ θεασάμενος προῆλθεν εἰς ὅλην τὴν μεριστὴν δημιουργίαν. Omnium crepundiorum quasi sacrum quendam laterculum adfert Clemens Alex. Protrept. cap. II § 17, vol. I p. 16 ed. Klotz (Lips. 1831): ὃν (Διόνυσον) . . . ἀπατήσαντες παιδαριώδεσιν ἀθύρμασιν οὗτοι δὴ οἱ Τιτᾶνες διέσπασαν, ἔτι νηπίαχον, ὡς δὴ ὁ τῆς τελετῆς ποιητὴς Ὀρφεύς φησιν ὁ Θρᾷκιος· Κῶνος καὶ ῥόμβος καὶ παίγνια καμπεσίγυια, || μῆλά τε χρύσεα καλὰ παρ' Ἑσπερίδων λιγυφώνων. Καὶ τῆσδε ὑμῖν τῆς τελετῆς τὰ ἀχρεῖα σύμβολα οὐκ ἀχρεῖον εἰς κατάγνωσιν παραθέσθαι· Ἀστράγαλος, σφαῖρα, στρόβιλος, μῆλα, ῥόμβος, ἔσοπτρον, πόκος. Adicit nonnulla Arnobius V, 19: *Cuius rei testimonium argumentumque fortunae suis prodidit in carminibus vates Thracius: talos, speculum, turbines, volubiles rotulas et teretes pilas et virginibus aurea sumpta ab Hesperidibus mala.*

Universum eum ludicrum apparatum commentatione eximia enarravit Lobeckius, Aglaoph. p. 699 sqq. Turbinum compluria genera enumerantur; primum κῶνος, Hesychius κῶνοι· οἱ θύρσοι. καὶ στρόβιλοι καὶ οἱ στρόμβοι. Deinde ῥόμβος, notus ex Theocrito II, 30: χὡς δινεῖθ' ὅδε ῥόμβος ὁ χάλκεος ἐξ Ἀφροδίτας. Porro Παίγνια καμπεσίγυια Hesychius s. v. καμπεσίγυια explicat: κάμπτοντα τὰ μέλη; sunt igitur homunculorum simulacra, quae νευρόσπαστα vocat Favorinus apud Gellium XIV, 1, 23, exquisita puerorum oblectamenta. Obscurissimum est illud, quod Clemens affert: πόκος, quod Lobeckius p. 702 quoniam

lanae glomeris ludenti puero nullus usus esse potuerit, corruptum censet atque τροχὸς vel κῶνος vocabulo commutandum. Sed πόκος, lana in modum pulvinaris conglomerata, quid ni puero delectationi esse potuit, ubi satias eum ludendi et cursitandi cepisset? Tum lubentissume in ea vel considere vel caput reclinare potuit. Pro lanae glomere cultior aetas προσκεφαλαίῳ utebatur, quod non tantum de capitis ad quietem compositi fulcro (Lysias XII, 18) dicitur, sed de commodiore consessu quoque usurpatur; Plato Republ. p. 328[c]: Καθῆστο δὲ ἐστεφανωμένος ἐπί τινος προσκεφαλαίου τε καὶ δίφρου. Scholia ad Aristoph. Equit. 784 ad verba Ἀλλ' ἐπαναίρου haec habent: ἐπανίστασο καὶ ἐπεγείρου, ἵνα ὑποθῶ τῷ καθίσματι τὸ προσκεφάλαιον. Atque omnino eius doli, quo a Titanibus Bacchus circumventus est, non ea forma fuit, ut donis fallacibus acceptis ilico eadem hora opprimeretur; immo puer his donis iam assueverat atque lusui puerili plane deditum et nil nisi gaudia sua cogitantem aggressi sunt. Speculum potissumum fuit, cuius dulci voluptate, cum os suum amabilissumum intueretur, Bacchus captus est; Proclus ad Tim. III, 163[f]: ἔσοπτρον . . . εἰς ὃ ἐμβλέψας ὁ θεὸς καὶ εἴδωλον αὐτοῦ θεασάμενος προῆλθεν.

4. Orphicorum sacra historia de caussis cur Bacchi cultores gypso ora oblinere soliti sint.

Iam atrocissimam illam narrationem, in qua Bacchus a Titanibus dilaniatus et discerptus crudeli paene diligentia mentibus et oculis piorum cultorum proponebatur, ex Orphico carmine compilatam, ut videtur, Nonnus servavit, qui Titanes primum ut nefandum facinus ignoti perpetrarent, gypso illito ora sua occuluisse dicit, Nonn. VI, 170: γύψῳ || κερδαλέῃ χρισθέντες ἐπίκλοπα κύκλα προσώπου. Notum est, hoc interdum in nocturnis adversus hostes incursionibus temptatum esse, ut alieno visu hostibus terror incuteretur. Velut Phocensium lecti iuvenes quingenti in bello contra Thessalos suasore Tellia vate nocturno impetu id fecerunt; Pausan. X, 1, 11: Φωκέων πεντακόσιοι φυλάξαντες πλήρη τὸν κύκλον τῆς σελήνης ἐπιχειροῦσιν ἐν τῇ νυκτὶ τοῖς Θεσσαλοῖς, αὐτοί τε ἀληλιμμένοι γύψῳ καὶ ἐνδεδυκότες ὅπλα λευκὰ ἐπὶ τῇ γύψῳ; conf. O. Mueller, Prolegomena p. 395; Lobeck, Agl. p. 654; Meineke, Analecta Alexandrina p. 155. Eodem modo Bacchantes gypso mystico ora obduxerunt, cuius moris testis est locupletissimus Nonnus, ut XLVII, 732: ὁμηγερέες δὲ πολῖται || μυστιπόλῳ χρίοντο παρήια λευκάδι γύψῳ; et XXXIV, 144: οὐδὲ μέτωπα πεφυρμένα λευκάδι γύψῳ, || ὡς πάρος, ἀργαίνοντο; et XXIX, 274: χρίσας ἔνθα καὶ ἔνθα παρηίδα λευκάδι γύψῳ. XXVII, 204: κύκλα μελαρρίνοιο προσώπου || Ἰνδῶν ληιδίων λευκαίνετε μύστιδι γύψῳ et 228: ἐλευκαίνοντο δὲ γύψῳ || μυστιπόλῳ. Titanes igitur hortatu Iunonis puerum adgrediuntur cultris armati (Nonn. VI, 172 et 205), qui in hoc extremo discrimine de vita et salute pro viribus dimicans ad id telum, quod solum puero in promptu erat, confugit: formam continuis metamorphosibus mutavit; quae Nonnus more suo magnifice et luxurianti stilo describit. Primum fit leo ingenti fremitu hostes terrens atque ipse sese cauda sua incitans, Nonn. VI, 182: λέων μιμηλὸς, ἰάλλων || φρικαλέον βρύχημα, σεσηρότι μαί-

νετο λαιμῷ . . . || αὐτομάτῃ μάστιγι περιστίζων δέμας οὐρῆς. Deinde equum se facit hinnitu et spumanti adversus frenos ore ferocientem, v. 188: χρεμετισμὸν ὁμοίιον ἔβρεμεν ἵππῳ || ἄζυγι, γαῦρον ὀδόντα μετοχλίζοντι χαλινοῦ, || καὶ πολιῷ λεύκαινε περιτρίβων γένυν ἀφρῷ. Transit porro in draconis iubati figuram, linguam proicientis, et unum alterumve e Titanibus vasto gyro circumnectentis, v. 194: καὶ βλοσυρῷ Τιτῆνος ἐπεσκίρτησε καρήνῳ || ὅρμον ἐχιδνήεντα περίπλοκον αὐχένι δήσας.

5. Dogma Orphicum de Baccho tauriformi a Titanibus laniato. In barbaro epularum Titanicarum spectaculo oculos et mentes Orphicos pascere singula quaeque minutatim enarrando.

Hoc quoque terriculo frustrante tigris fit, ac postremo taurus, qua forma Bacchum capi et occidi fatale fuit; cum enim taurus terribili mugitu et cornuum ictibus insidiatores iamiam repelleret, Iuno ingenti fremitu illos ut incepta perficerent instigavit; v. 200: καὶ ψυχῆς προμάχιζεν, ἕως ζηλήμονι λαιμῷ || τρηχαλέον μύκημα δι' ἠέρος ἔβρεμεν Ἥρη. Tum igitur taurus generosus in poplites concidit atque scelestissumum facinus perpetratum est: alternantibus et aemulantibus ictibus Bacchum perfoderunt et dissecuerunt v. 204: καὶ θρασὺς ὤκλασε ταῦρος· ἀμοιβαίῃ δὲ φονῆες || ταυροφυῆ Διόνυσον ἐμιστύλλοντο μαχαίρῃ. Atque, uti fit, sceleris via semel inita scelestiores etiam fiunt; carnium quoque dulcissimi pueri vescendorum cupido eos invadit. Ac secundum Orpheum quidem in visceratione illa crudelissima in septem frusta Bacchi corpus discerptum est; Proclus in Tim. III, p. 184[e]: ἑπτὰ δὲ πάντα μέρη κούρου διεμοιρήσαντό, || φησιν ὁ θεολόγος περὶ τῶν Τιτάνων. Is numerus apud Orpheum concinit cum Titanum numero; nam in Theogonia Orphica tot Titanes, totidemque Titanides mulieres Terra parit; Proclus ad Tim. p. 137[b]: κατὰ γὰρ τὴν τρίτην γονὴν ἡ Γῆ προήγαγεν Ἑπτὰ μὲν εὐειδεῖς κούρας, ἑλικώπιδας, ἁγνάς, || ἑπτὰ δὲ παῖδας ἄνακτας ἐγείνατο λαχνήεντας. conf. Eugenium Abel, Orphica p. 189. Titanum nomina Orpheus ponit apud Procl. ad Tim. V, p. 295[d]: Κοῖόν τε Κριῖόν τε μέγαν Φόρκυν τε κραταιόν, || καὶ Κρόνον Ὠκεανόν θ' Ὑπερίονά τ' Ἰάπετόν τε. Hi Titanes eidem sunt atque Hesiodei in Theogonia v. 134, praeterquam quod ad sex illos Hesiodeos Phorcys septimus apud Orpheum accessit. Iam igitur epulas detestandas occisores adparant, Bacchi reliquias assantes et coquentes. Clemens Protrept. I, §. 18 p. 17 ed. Klotz: Οἱ δὲ Τιτᾶνες, οἱ καὶ διασπάσαντες αὐτόν, λέβητά τινα τρίποδι ἐπιθέντες καὶ τοῦ Διονύσου ἐμβαλόντες τὰ μέλη, καθήψουν πρότερον· εἶτα ὀβελίσκοις περιπείραντες "ὑπείρεχον Ἡφαίστοιο". Orphicorum vestigia in carmine Διόνυσος Euphorio pressit, de quo Tzetzes ad Lycophr. 208: οἱ Τιτᾶνες τὰ Διονύσου μέλη, ἃ διεσπάραξαν, Ἀπόλλωνι ἀδελφῷ ὄντι αὐτοῦ παρέθεντο . . . καὶ Εὐφορίων λέγει· Ἐν πυρὶ Βακχέα δῖον ὑπερφιάλως (ὑπὲρ φιάλης volgo) ἐβάλοντο. conf. Meineke, Anal. Alexandr. p. 21 et 49. Huius Bacchi pueri dilacerationis, in qua imagine inficeta et barbara Orphici haud dubie mixta quadam cum luctu voluptate commorabantur et defixi paene tenebantur, multi scriptores memoriam prodiderunt, Orphicorum scripta secuti. Plutarchus de Isid. 35

Bacchi διασπασμὸν cum Osiridis morte simili comparat: ὁμολογεῖ δὲ καὶ τὰ Τιτανικὰ . . . τοῖς λεγομένοις Ὀσίριδος διασπασμοῖς, et de esu carnium I, 7, 5: τὰ γὰρ δὴ περὶ τὸν Διόνυσον μεμυθευμένα πάθη τοῦ διαμελισμοῦ. Pausanias rem novit VIII, 37, 5: Ὀνομάκριτος . . . Διονύσῳ τε συνέθηκεν ὄργια, καὶ εἶναι τοὺς Τιτᾶνας τῷ Διονύσῳ τῶν παθημάτων ἐποίησεν αὐτουργούς. Firmicus Maternus de Error. prof. religion. p. 8 med. ed. Bursian: *Tunc ut huic facinori aliud adderetur, quia vehementer tyranni crudelitas timebatur, decocta variis generibus pueri membra consumunt, ut humani cadaveris inauditis usque in illum diem epulis vescerentur.*

6. Fuit Orphicorum dogma eximium: Ex Titanum a Iove combustorum favilla primos homines exortos esse. Olympiodori in commentario ad Platonis Phaedonem luculentum super hac re testimonium.

Sed haec execrabilia et detestanda facta dum a Titanibus perpetrantur, Minerva ad Iovem properat cum tristissimo nuntio; simul ut documentum, se non ficta, sed vera referre, cor ei dilectissumi filii, quod solum e clade salvom abstulerat, ostendit.

Orpheus apud Procl. in Tim. III p. 184[d]: μόνην τὴν νοερὰν οὐσίαν καὶ τὸν νοερὸν ἀριθμὸν ἀπολελεῖφθαί φησιν ὑπὸ τῆς Ἀθηνᾶς σεσωσμένον. "Μούνην γὰρ κραδίην νοερὴν λίπον" φησίν, ἄντικρυς νοερὰν αὐτὴν προσαγορεύων, conf. Abelium, Orphica p. 231. Proclus Hymnus in Minervam v. 11 (conf. Abelium ibid. p. 235 et 282): ἣ κραδίην ἐσάωσας ἀμιστύλλευτον ἄνακτος || αἰθέρος ἐν γυάλοισι, μεριζομένου ποτὲ Βάκχου || Τιτήνων ὑπὸ χερσί. Iuppiter comperta re dolore et ira accensus merito supplicio Titanes affligit; fulmina expedit atque partim eos flammis in cineres comburit, partim in Tartarum iaculatur. De iactu in Tartarum vide Proclum in Tim. I p. 58[c]: πιστοῦμεν ἀναμνήσαντες ἡμᾶς αὐτοὺς τῶν παρὰ τῷ Ὀρφεῖ λεγομένων πρὸς τῷ πέρατι τῆς δημιουργίας καταταρταρώσεων, et ibid. μιμεῖται (ὁ Πλάτων) τὴν Ὀρφικὴν καταταρτάρωσιν. Sed pars occisorum haud dubie in favillam combusta ab Orpheo tradita fuerat; atque hoc propter *Anthropogoniam* cum eodem dogmate coniunctam maxume nunc cognitu dignum est. Itaque primum Terra, mater Titanum (Procl. ad Tim. V, p. 295[d]; Abel, Orphica p. 189 extr.), a Iove fulmine percutitur; Nonn. VI, 205: Ζεὺς δὲ πατὴρ . . . || γιγνώσκων σκιόεντα τύπον δολίοιο κατόπτρου || μητέρα Τιτήνων ἐλάσας ποινήτορι πυρσῷ || Ζαγρέος εὐκεράοιο κατεκλήισσε φονῆας || Ταρταρίῳ πυλεῶνι. Luculento vero indicio, Titanes a Iove in cineres combustos esse, illud quoque antiquis hominibus fuit, quod certum quoddam cretae vel gypsi genus Τίτανος vocabatur. Id hercle nomen satis clare et perspicue, quo poenae genere Titanes periissent, indicare videbatur, atque lapis ipse ex vehementi aestu et ardore ortus credebatur; Eustathius ad Iliad. II, 735, pag. 332, 24 ed. Rom. (conf. Lobeck, Agl. p. 565): Τίτανον δὲ κυρίως τὴν κονίαν φαμὲν, τὸ ἰδιωτικῶς λεγόμενον ἄσβεστον, τὸ ἐν λίθοις κεκαυμένοις χνοῶδες λευκόν. ἐκλήθη δὲ οὕτως ἀπὸ τῶν μυθικῶν Τιτάνων, οὓς ὁ τοῦ μύθου Ζεὺς κεραυνοῖς βαλὼν κατέφρυγε· δι᾽ αὐτοὺς γὰρ καὶ τὸ ἐξ ἄγαν πολλῆς καύσεως καὶ ὡς οἷον εἰπεῖν τιτανώδους διαθρυφθὲν ἐν λίθοις λεπτὸν τίτανος

ὠνομάσθη, οἷον ποινῆς τινος Τιτανικῆς γενομένης καὶ ἐν αὐτῷ. Hesychius τιτανωμένας· γεγυψωμένας.

Sed ad hoc Titanum fulgure peremptorum supplicium illud nunc dogma adnectitur, quod inter gravissima est theologiae Orphicae placita et inventa: dogma de hominum ex favilla Titanum ortu et origine. Hoc placito communionem quandam hominum mortalium cum Baccho indicari manifestum est, quoniam Titanes e quorum cineribus homines orti sunt, Bacchi carnibus sese ingurgitarunt. Itaque in hoc dogmate tanquam in dilecto aliquo nemore maxume Orphici expatiantur et luxuriantur, hoc illis pulcherrimae spei pignus est. Testis vero eximii huius placiti potissumum Olympiodorus est in scholiis ad Platonis Phaedonem. Haec scholia ediderunt Andreas Mustoxydes et Demetrius Schinas in opere: Συλλογὴ Ἑλληνικῶν Ἀνεκδότων, Venetiae 1816; ibi in fasciculo mensis Iulii Ὀλυμπιοδώρου φιλοσόφου σχόλια leguntur. Iam ad notissumum in Phaedone locum p. 61[c], quo contra voluntariam mortem disseritur: οὐ μὲν οὖν βιάσεται αὑτόν· οὐ γὰρ θεμιτόν Olympiodorus haec adnotavit p. 3 extrem: Ὧν σύμβολον ἡ τοῦ Διονύσου βασιλεία· διὸ καὶ σπαράττεταί τι . . . καὶ τὰς σάρκας μασῶνται οἱ Τιτᾶνες, τῆς μασώσεως δηλούσης τὸν πολὺν μερισμόν. Deinde de hominum primorum ortu clarissume ex Orphei sententia ibid. p. 2 med.: Μετὰ δὲ τὸν Κρόνον ὁ Ζεὺς ἐβασίλευσε . . . εἶτα τὸν Δία διεδέξατο ὁ Διόνυσος, ὅν φασι κατ' ἐπιβουλὴν τῆς Ἥρας τοὺς περὶ αὐτὸν Τιτᾶνας σπαράττειν καὶ τῶν σαρκῶν αὐτοῦ ἀπογεύεσθαι· καὶ τούτους ὀργισθεὶς ὁ Ζεὺς ἐκεραύνωσε καὶ ἐκ τῆς αἰθάλης τῶν ἀτμῶν τῶν ἀναδοθέντων ἐξ αὐτῶν ὕλης γενομένης γενέσθαι τοὺς ἀνθρώπους. Argumentatur igitur Olympiodorus hunc in modum: Orpheum docuisse: in nostrum omnium corpore Bacchi tantillam particulam inesse, quoniam Bacchum Titanes comederint; propterea hominibus piis ac religiosis non licere sibimet ipsis vim inferre. Olympiodorus ibid. pag. 2 extr.: Οὐ δεῖ οὖν ἐξάγειν ἡμᾶς ἑαυτούς, οὐχ ὅτι, ὡς δοκεῖ λέγειν ἡ λέξις, διότι ἔν τινι δεσμῷ ἐσμὲν τῷ σώματι· τοῦτο γὰρ δῆλόν ἐστι καὶ οὐκ ἂν ἀπόρρητον ἔλεγεν· ἀλλ' ὅτι οὐ δεῖ ἐξάγειν ἡμᾶς αὐτούς, ὡς τοῦ σώματος ἡμῶν Διονυσιακοῦ ὄντος, μέρος γὰρ αὐτοῦ ἐσμεν, εἴ γε ἐκ τῆς αἰθάλης τῶν Τιτάνων συγκείμεθα γευσαμένων τῶν σαρκῶν τούτου. conf. Lobeck, Aglaoph. p. 566. Itaque et in corpore nostro et in anima particula inest primum Bacchi, deinde haud minus Titanum; ex hisce enim duobus elementis secundum Orphicos humana composita natura est, quoniam ex eorum consociatione primi olim parentes nostri exorti sunt. Idem testatur Dio Chrysostomus, Orat. XXX, 10, pag. 349 ed. Emperius, Brunsvigae, 1844: λέξω δὲ αὐτὸν (sc. τὸν λόγον) ὑμῖν οὔτι που τερπνὸν ὄντα οὐδὲ χαρίεντα· οὐ γὰρ οἶμαι πρὸς χάριν τὴν ἡμετέραν γέγονεν· ἔχοντα δέ τι θαυμαστὸν ἴσως· ὅτι τοῦ τῶν Τιτάνων αἵματός ἐσμεν ἡμεῖς ἅπαντες οἱ ἄνθρωποι. ὡς οὖν ἐκείνων ἐχθρῶν ὄντων τοῖς θεοῖς καὶ πολεμησάντων, οὐδὲ ἡμεῖς φίλοι ἐσμέν. cf. Olympiodorus in Plat. Phaed. ed. Finckh, Heilbronn, 1847, p. 2 et 68.

7. Fuit decretum Orphicum: Epulis illis Titanum Bacchi carnibus vescentium effectum esse, ut aliqua tantilla semper nostri, qui e Titanum cineribus orti simus, particula Bacchica sit. Spes inde egregia immortalitatis.

Orphici igitur primum in universum humanas animas ex vita quondam caelesti et in deorum immortalium consortio acta propter peccata quaedam et scelera in hanc vitam terrestrem deiectas et detrusas arbitrabantur, vel, ut cum Cicerone loquamur in fragmento "Hortensii" dialogi editionis Orellianae II vol. IV, Turici 1861 p. 986 *nos . . . poenarum luendarum caussa natos esse dixerunt.* Iam igitur principes illas et quasi praecursores animarum e caelo decussarum, in terram olim adpulsas cum illa Titanum favilla coaluisse, cuius pars longe praestantissima fuerit illa quantulacunque corporis Bacchi particula, quae nunc mirifico vinculo cum reliquiis Titanum coniuncta aenigma illud efficiat, quod humanae naturae vocabulo nuncupare solemus. Itaque Bacchum regem nostrum Orpheus vocavit, Proclus in Plat. Alc. I p. 391 ed. Cousin: Ὀρφεὺς ἐφίστησιν τῷ βασιλεῖ Διονύσῳ τὴν μονάδα τὴν Ἀπολλωνιακήν. Sed Bacchum misere direptum et laniatum Iuppiter Apollinem conquirere rursus et integrum reddere iubet, ut quantum fieri posset corpus saltem recuperaretur. Apollo iussum patris exequitur et reliquias fratris in monumento condit, quod in Delphici templi adyto conspicitur. Plutarchus de Isid. 35: καὶ Δελφοὶ τὰ τοῦ Διονύσου λείψανα παρ' αὐτοῖς παρὰ τὸ χρηστήριον ἀποκεῖσθαι νομίζουσιν. Callimachus, qui in primo Aetiorum libro Bacchi, Iovis et Proserpinae filii, fata Orphicorum theologiae vestigiis incedens cecinerat, Bacchi prope tripodem sepulcrum commemoraverat; Callim. apud Tzetzam ad Lycophr. 208: οἱ Τιτᾶνες τὰ Διονύσου μέλη, ἃ ἐσπάραξαν, Ἀπόλλωνι ἀδελφῷ ὄντι αὐτοῦ παρέθεντο ἐμβαλόντες εἰς λέβητα, ὁ δὲ παρὰ τῷ τρίποδι παρέθετο, ὥς φησι Καλλίμαχος. conf. O. Schneiderum, Callimachea p. 57 et p. 570. Ioannes Malalas ed. Dind. p. 45: καὶ ἐτέθη τὸ λείψανον τοῦ αὐτοῦ Διονύσου ἐκεῖ ἐν σορῷ . . . Φιλόχορος τὰ αὐτὰ συνεγράψατο ἐν ᾗ ἐκθέσει εἶπε περὶ τοῦ αὐτοῦ Διονύσου· ἔστιν ἰδεῖν τὴν ταφὴν αὐτοῦ ἐν Δελφοῖς παρὰ τὸν Ἀπόλλωνα τὸν χρυσοῦν, βάθρον δέ τι εἶναι ὑπονοεῖται ἡ σορός. Sed theologia Orphica minime eum in modum tristis est et luctui sempiterno quasi mancipata, ut Bacchi sui mors praematura in perpetuum sine ullo solatio ei plangenda et lacrimanda sit. Immo mors illa in triumphum convertitur; nam, laetissimum dictu, Bacchus ex morte resurgit. Atque hoc resurgentis ad vitam Bacchi dogma theologiae omnino Orphicae summus thesaurus est; nam in eo pii cultores certissumum palladium intuentur, Baccho duce, Baccho patrono futurum esse, ut ipsi quoque ex morte ad vitam, ut ex huius terrae exilio ad patriam aliquando caelestem resurgant. In hoc vero resurrectionis dei Bacchi dogmate non una semper et constans sibi fuit Orphicorum theologorum opinio, immo diversae paullulum inter se huius dogmatis formae procusae sunt, quas accurate discernere et distinere operae pretium est. In eis vero diversitatibus cognoscendis magna et voluptas et uti-

litas posita est, quoniam inde optime apparet, quemadmodum Orphici placita sua religionibus traditis accommodare et hominum ubique desideriis inservire studuerint.

8. Bacchi historia sacra in Trieteridis canonem inclusa. In theologia Orphica complures dogmatis de resurrectione formae ferebantur. Inde complures etiam Trieteridis formae.

Ad haec igitur qualia fuerint recte diiudicanda ab hoc nunc initio exordiendum est. Bacchi omnino fata, sacris ritibus et diebus festis celebrandis expressa, *trieterica* semper fuerunt, ut uno biennio universus cyclus sacrae dei historiae absolveretur. Itaque eo spatio certis intervallis Bacchi natales, vita, mors, denique ex morte in vitam restitutio et in caelum adscensio continebantur. Huius moris et ordinis in sacris potissumum Bacchicis recepti plurimi atque luculenti testes sunt. Pausanias X, 4, 3: αἱ θυιάδες γυναῖκες μέν εἰσιν Ἀττικαί, φοιτῶσαι δὲ ἐς τὸν Παρνασσὸν παρὰ ἔτος αὐταί τε καὶ αἱ γυναῖκες Δελφῶν ἄγουσιν ὄργια Διονύσῳ. Inter Hymnos Orphicos unus est LII cum inscriptione: Τριετηρικοῦ, θυμίαμα ἀρώματα. Haud minus frequenter, quam τριετηρικὸς vocabulum in sacro usu invenitur ἀμφιετής, velut Hymno Orphico LIII inscriptum est: Ἀμφιετοῦς, θυμιαμα πάντα πλὴν λιβάνου, καὶ σπένδε γάλα, deinde in primo versu: Ἀμφιετῆ καλέω Βάκχον, χθόνιον Διόνυσον. Idem cantat Hymnus LIV, 2: τετιμένε πᾶσι θεοῖσι || καὶ θνητοῖσι βροτοῖσιν ἐπὶ τριετηρίσιν ὥραις. Hymnus in Bacchum inter "Homericos" XXXIV, v. 11: Ὣς δὲ τὰ μὲν τρία (natales, mors, resuscitatio), σοὶ πάντως τριετηρίσιν αἰεὶ || ἄνθρωποι ῥέξουσι τελήεσσας ἑκατόμβας. Deinde Ovidius Metam. VI, 587: *Tempus erat, quo sacra solent trieterica Bacchi* || *Sithoniae celebrare nurus.* Metam. XI, 641: *tuo motae, proles Semeleia, thyrso* || *Ismariae celebrant repetita triennia Bacchae.* In Trieteridis igitur principio omnes Bacchi cultores concordant. Ea Bacchicorum sacrorum omnino fundamentum est. Sed hoc stabilito accuratius inspicientibus unum mirificum videri debet. Orphici cum ceteroquin concordiae inter se amantissimi sint, in dogmate de Bacchi resurrectione conformando et procudendo haud dubie in diversas plane partes discesserunt. Nam si paullo curiosius litteras Orphicas perlustres, de hac certe gravissima materia minume eadem et constantia sibi docentur; immo secundum tempora, loca, potissumum vero secundum traditas populorum Graeciae religiones, quibus nova illa inventa semper adaptanda fuerunt, hoc quidem dogma admodum varie fictum et adornatum est, atque, id quod statim apparet, una cum dogmate universa Trieteridis conformatio. Sed licet in his Orphici nonnulla non tam divino spiritu instincti, quam humanis consiliis administrarint, tamen manet hoc inconcussum semperque manebit: Orphicos praecipue in hoc de Bacchi resurrectione invento incredibilem quandam in rebus divinis perscrutandis facultatem et in aenigmatis caelestibus expediendis divinationem et sanctum quasi (sit venia verbo) olfactum comprobasse.

9. Dogmatis Orphici de Bacchi resurrectione prima forma ea est, in qua Bacchus per menses novem in Orco dormit: παρὰ Περσεφόνης ἱεροῖσι δόμοισιν ἰαύων, deinde praestituta die in sacra vanno (Λικνίτης) expergiscitur.

Iam vero omnibus ubique dogmatis Orphici de Bacchi resurrectione diversitatibus collectis et inter se comparatis tres omnino eius formae distingui possunt, quae ex ipsius mythi vi et natura tanquam sponte sua oriuntur. Etenim tribus rationibus fieri potuit, ut Bacchus interemptus et ab Apolline sepulchro conditus in vitam rediret. Primum ita res fingi potuit, ut Bacchus post mortem descenderet quidem ad inferos atque ibi aliquot menses, ac videntur sollemni numero novem semper menses ei rei destinati fuisse, in tutela potissumum matris Proserpinae dormiens commoraretur; ut vero deinde praestituta die, Delphis mense Dadaphorio, ad dias luminis oras rediret. Redibat autem non qualis discesserat a Titanibus occisus, sed parvulus infans in vanno mystica dormiens. Atque huius sanctissimae epiphaniae ea sollemnis forma erat, ut mulieres Bacchantes puerulum cantibus et precibus ex mortis diuturno somno "expergefacerent". Nam ea vox est in sacris illis usitata. Non nascitur Bacchus, sed renascitur. Hoc est pulcherrimum illud: ἐγείρειν τὸν Λικνίτην, quod scriptoribus in deliciis est. Plutarchus de Iside 35: καὶ θύουσιν οἱ Ὅσιοι θυσίαν ἀπόρρητον ἐν τῷ ἱερῷ τοῦ Ἀπόλλωνος, ὅταν αἱ θυιάδες ἐγείρωσι τὸν Λικνίτην. Praeclare tacitum illud tempus, quo Bacchus hac vita functus apud inferos prope matrem degit, describit auctor Hymni Orphici LIII p. 86 ed. Abel, v. 3: ὃς παρὰ Περσεφόνης ἱεροῖσι δόμοισιν ἰαύων || κοιμίζει τριετῆρα χρόνον, Βακχήιον ἁγνόν. Deinde de sacro illo tempore adventus Bacchici, cum expergefactus Bacchus, ut cantus quoque Bacchicus expergiscatur, efficit, eximie elegantissumus poeta canit v. 5: αὐτὸς δ' ἡνίκα τὸν τριετῆ πάλι κῶμον ἐγείρῃς, || εἰς ὕμνον τρέπεαι σὺν ἐυζώνοισι τιθήναις || εὐάζων κινῶν τε χοροὺς ἐνὶ κυκλάσιν ὥραις. Plutarchus de εἶ apud Delphos 9 extr.: τὸν μὲν ἄλλον ἐνιαυτὸν παιᾶνι χρῶνται περὶ τὰς θυσίας, ἀρχομένου δὲ χειμῶνος ἐπεγείραντες τὸν διθύραμβον, τὸν δὲ παιᾶνα καταπαύσαντες, τρεῖς μῆνας ἀντ' ἐκείνου τοῦτον κατακαλοῦνται τὸν θεόν. His stabilitis iam quaeritur quemadmodum huius talis de resurrectione dogmatis cultores Trieteridem Bacchicam disposuerint et quomodo Bacchi fata et sacram historiam ab prima epiphania, i. e. a natalibus Bacchi, usque ad mortem et commorationem in Orco hoc uno biennio comprehenderint. Sed haec antequam singillatim percenseamus, antea haud dubie gratiarum agendarum dulci officio pleno pectore satisfaciendum est. Universae enim huic de Bacchica Trieteride quaestioni eximiam lucem attulit vir praestantissimus *Augustus Mommsen*, in docto hercle et laborioso opere "Delphica", potissumum p. 115 lin. 4—12 et plurimis praeterea locis, velut p. 263—274, p. 276 not. 1, et in Heortologia p. 72. Mommsenii omnino vestigiis per totum hunc campum, per quem alte ille aratrum duxit, insistendum est. Unum tantummodo est, in quo viri egregii operam nunc supplere licebit. Non una eademque semper Trieteridis forma Delphica fuit, immo saepius, atque, quod equidem sciam, quater

Delphis variavit, quoniam ipsum illud de Bacchi resurrectione dogma, quo Trieteris nitebatur, temporum decursu aliud semper atque aliud factum est. Hinc illud profecto, quod miraculi instar est, explicandum est, quod duumviri clarissimi, rerum Delphicarum maxume gnari atque de toto hoc antiquitatum genere optime meriti, ***Augustus Mommsen*** l. c. p. 276 not. 1 et *Ludovicus Weniger,* das Collegium der Thyiaden von Delphi, Isenaci, 1876, p. 7 et p. 14 de Trieteridis Delphicae compositione et architectura prorsus inter se contraria et pugnantia docent. Ambo recta et iusta docuerunt, sed diversae illae et discordantes inter se imagines, quas viri doctissimi adumbrarunt, non Delphicam Trieteridem omnino, sed talem qualis certis temporibus fuit, exprimunt. Quo fit ut ambae verae sint, licet adversa fronte sibi repugnent.

10. Ea Trieteris, in qua Bacchus a Thyiadibus ex diuturno mortis somno excitatur, mense Dadaphorio, non Bysio, exorditur. Quid sit apud Orphicos κοιμίζειν τριετῆρα χρόνον.

Iam nunc, ut nostro in hac opinionum diversitate officio fungamur, illius interim Trieteridis forma et compositio instauranda erit, quae eo dogmate nititur, in quo Bacchus post mortem novem menses apud Proserpinam matrem degit, donec praestituta die in lucem restitutus a Thyiadibus ex mortis somno resuscitetur; Plut. de Isid. 35: ὅταν αἱ θυιάδες ἐγείρωσι τὸν Λικνίτην. Haec igitur Trieteris initium Delphis quidem capit a mense Dadaphorio, quo Bacchum in cunis iacentem Bacchae mulieres expergefaciunt. Erat autem eorum sacrorum haec ratio, ut in Parnasso monte, in antro, opinor, Corycio, puerulum mulieres reperirent; deinde ut eo reperto agmina Baccharum exultanti gaudio et sacro furore instincta, atque faces ardentes iactantia in omnes partes ita discurrerent, ut illis luminibus montis bicipitis cacumina longe lateque collucerent. Hoc pulcherrimum spectaculum ludibundarum cum Baccho nutricum et Baccharum in deliciis plane est omnium saeculorum scriptoribus Graecis. Ex uberrima copia pauca delibare liceat. Sophocl. Ant. 1126: σὲ δ' ὑπὲρ διλόφοιο πέτρας στέροψ ὄπωπε || λιγνύς, ἔνθα Κωρύκιαι || νύμφαι στίχουσι Βακχίδες. Euripid. Hypsipyla fragm. 752 p. 467 apud Nauck, Trag. Gr. Fragm. Lips. 1856: Διόνυσος, ὃς θύρσοισι καὶ νεβρῶν δοραῖς || καθαπτὸς ἐν πευκαῖσι Παρνασσὸν κάτα || πηδᾷ χορεύων παρθένοις σὺν Δελφίσιν. Eur. Bacch. 306: ἔτ' αὐτὸν ὄψει κἀπὶ Δελφίσιν πέτραις || πηδῶντα σὺν πεύκαισιν δικόρυφον πλάκα, || πάλλοντα καὶ σείοντα Βακχεῖον κλάδον. De Corycio antro et locorum in Parnasso natura copiosus testis est Pausanias, qui vel Corycio antro altius Bacchantes mulieres escendisse tradit; Paus. X, 32, 7: Ἀπὸ τοῦ Κωρυκίου χαλεπὸν ἤδη καὶ ἀνδρὶ εὐζώνῳ πρὸς τὰ ἄκρα ἀφικέσθαι τοῦ Παρνασσοῦ· τὰ δὲ νεφῶν τέ ἐστιν ἀνωτέρω τὰ ἄκρα, καὶ αἱ Θυιάδες ἐπὶ τούτοις τῷ Διονύσῳ καὶ τῷ Ἀπόλλωνι μαίνονται. conf. Weniger, Collegium der Thyiaden p. 10 et Aug. Mommsen, Delphica p. 267. Iam hunc primum Bacchi adventum mense Dadaphorio celebratum menses quindecim sequuntur, quibus Bacchi pueritia continebatur.

Adolescit puer divinus, divum hominumque voluptas, inprimis vero Iovis deliciolae, qui summis, verum — pro dolor — infaustis, quippe invidiam excitantibus, donis honoribusque eum exornat; quid enim maius fingi potuit, quam ut, quod ait Nonnus X, 295, εἰσέτι παππάζοντι tonitrua sua et fulgura in pueriles manus pater traderet? Hoc nimio amore pueri amabilissimi fata nimium quantum accelerantur. Nam aetatis eius mense iam decimo quinto, hoc est alterius in cyclo trieterico anni mense apud Delphos Amalio, cuius nomen haud dubie cohaeret cum verbis ἀμαλδύνω, ἀμαλάπτω, crudelia Bacchi fata inevitabiliter ingruunt. Discerpitur a Titanibus; e cruenta Titanum favilla primi hominum parentes et genitores oriuntur; quo, nisi fallimur, Oppianus quoque alludit, Halieuticis V, 9: Εἴτ' ἄρα καὶ λύθροιο θεορρύτου ἐκγενόμεσθα || Τιτήνων· οὐ γάρ τι πέλει καθυπέρτερον ἀνδρῶν || νόσφι θεῶν; nam λύθρον est cruor cum pulvere commixtus; conf. Odyssea XXII, 402: αἵματι καὶ λύθρῳ πεπαλαγμένον. Bacchus deinde, atque haec omnia eximio mortalium generi solatio fuisse luculenter hercle adparet, tanquam aliquis generis humani praecursor, quippe cuius propter Titanum illas Thyesteas epulas aliqua vel tantilla semper particula in unoquoque nostrum inest et habitat, Bacchus igitur in Orcum descendit atque apud Proserpinam matrem novem menses dormiendo conficit. Id egregie docet Hymnus Orphicus LIII, 3: ubi omnia vocabula non tanquam in populari aliqua trutina, sed in aurificis quasi statera ad iustam normam et significatum exacta sunt: Ὅς παρὰ Περσεφόνης ἱεροῖσι δόμοισιν ἰαύων || κοιμίζει τριετῆρα χρόνον Βακχήιον ἁγνόν. Verbo κοιμίζειν haud dubie indicatur, Trieteridem novem istis mensibus, quibus in Orco degit Bacchus, absolvi. Itaque haec quidem Trieteris, in qua Bacchus post mortem non in caelum adscendit, sed ad Proserpinam descendere creditur, initium capit a Bacchi ex mortis somno expergefacti seu renati Epiphania mense Dadaphorio. Decurrit deinde per duodecim menses anni Delphici atque tres insuper menses: alterius anni Dadaphorium, Poitropium, Amalium. Denique hoc ipso Amalio mense Bacchus fatis functus creditur. Postremo vero haec eius in regionibus lucis fata sequitur commoratio per novem menses apud inferos, quibus transactis, denuo sub auctumni ad hiemem vergentis tempus novae trieteridis cyclus exoritur. Haec igitur prima est dogmatis Orphici de resurrectione Bacchi forma.

11. Exponitur altera dogmatis Orphici de Bacchi resurrectione forma, in qua Bacchus post brevem in sepulcro quietem resurgens in caelum adscendit. Plutarcho quantum et quam firmum immortalitatis pignus hoc dogma visum sit.

Sequitur ut alteram nunc explicemus, quae ipso principio ea iam re a priore differt, quod Bacchus in ea non novem menses, sed pauculos dies in sepulcro commoratur, quibus peractis in vitam revocatur atque, quo luculentissimus de Morte, adversus Bacchum invalida, triumphus continetur, in caelum in coetum deorum evehitur. Hoc vero posito iam quid de novo et altero Baccho, quem in lucem vitae prodire oportebat, docendum

fuerit, manifestum est. Novus Bacchus ex hoc quidem canone non simpliciter renasci et expergisci potuit, neque satis erat, ut eum Thyiades dormientem voce sua excitarent; immo novus Bacchus nova generatione procerari debuit. Itaque novae rursus nuptiae Iovi cum Proserpina ineundae erant. Huius quoque dogmatis luculenta testimonia aetatem tulerunt, nam id quoque Delphis certo tempore excultum et sacris sollemnibus celebratum est. Disseruit vero de hoc potissumum canone et scriptorum antiquorum, quibus hoc dogma comprobatur, locis eximie Ludovicus Weniger: Collegium der Thyiaden p. 14. Ac primum quidem, ut singula nunc explicemus, haud profecto longiusculum, sed breve quiescentis illud Bacchi in sepulcro tempus fuisse, perpulchra enarratione Himerius indicat, qui quemadmodum Bacchus de morte tropaeum statuerit tradit, cum Titanes, eius occisores, Iuppiter posteritati mala fama et aeternis rumorum flagellis et verberibus proscindendos tradiderit; Himerius Orat. IX, 4 extrem. p. 66 ed. Duebner, Paris 1880: Τί οὖν ἐπὶ τούτοις; Διόνυσος ἔκειτο μὲν οἶμαι πληγεὶς καὶ τὴν πληγὴν καιρίαν ἐστέναζεν· ἄμπελος δ' ἦν κατηφής, καὶ σκυθρωπὸς οἶνος, καὶ βότρυς ὥσπερ δακρύων, καὶ Βάκχος οὐκέτι σφυρὸν εἰς τὴν κίνησιν εἶχεν εὐάρμοστον. Ἀλλ' οὐ διὰ τέλους τὸ δάκρυον, οὐδὲ πολεμίων τὸ τρόπαιον. ὁ γὰρ Ζεὺς ἐποπτεύων ἑώρα πάντα καὶ τὸν Διόνυσον ἐγείρας, ὡς λόγος, Τιτᾶνας ἐποίει παρὰ τῶν μύθων ἐλαύνεσθαι. Eundem post brevem in sepulcro quietem in caelum adscensum Origenes contra Celsum testatur, qui eum cum summi Salvatoris nostri resurrectione et adscensu comparatum aliquanto hercle inferiorem iudicat; Origenes contra Celsum ed. Spencer, Cantabrigiae 1677, libro IV, p. 171 init.: Ἆρα δὲ οὐ πολλῷ ταῦτα (τοῦ Ἰησοῦ αἱ μεταμορφώσεις) . . . σεμνότερα φανεῖται Διονύσου ὑπὸ τῶν Τιτάνων ἀπατωμένου . . . καὶ σπαρασσομένου ὑπ' αὐτῶν καὶ μετὰ ταῦτα πάλιν συντιθεμένου καὶ οἱονεὶ ἀναβιώσκοντος καὶ ἀναβαίνοντος εἰς οὐρανόν; ἢ Ἕλλησι μὲν ἔξεστι τὰ τοιαῦτα εἰς τὴν περὶ ψυχῆς ἀνάγειν λόγον . . ., ἡμῖν δ' ἀποκέκλεισται θύρα ἀκολούθου διηγήσεως; His Orphicorum theologumenis et caerimoniis sacris ingens immortalitatis animorum et palingenesiae pignus continebatur, quod in religionibus Delphicis temporum Graecae antiquitatis posteriorum pretiosissimi thesauri instar haud dubie propagabatur. Cuius rei Plutarchus testis est in clarissimo loco de εἶ apud Delphos cap. 9 med.: Διόνυσον δὲ Ζαγρέα καὶ Νυκτέλιον καὶ Ἰσοδαίτην αὐτὸν ὀνομάζουσι, καὶ φθοράς τινας καὶ ἀφανισμοὺς, καὶ τὰς ἀποβιώσεις καὶ παλιγγενεσίας, οἰκεῖα ταῖς εἰρημέναις μεταβολαῖς αἰνίγματα καὶ μυθεύματα, περαίνουσιν. De Baccho 'Isodaeta', qui omnibus sacrorum suorum et divinitatis suae cultoribus aequam carnium suarum partem vescendam attribuat, egregie dixit Welckerus, Griech. Goetterlehre, vol. II, p. 631 et 636, not. 183 et 639 lin. 1.

12. Illam Trieteridem, in qua Bacchus post breve in sepulcro intervallum in caelum evehitur, necessario novi Bacchi ex novis Iovis et Proserpinae nuptiis generationem poscere. Eius Trieteridis exordium esse mensem vernum Bysium.

Iam si quaeratur, quemadmodum haec nunc dogmatis de Bacchi resurrectione forma, in qua paucis iam post mortem diebus resurgit, in Trieteridis cyclum inserta sit,

id sane haud ita difficile expeditu erit. Haec Trieteris non ab auctumno ad hiemem vergente initium capiebat, sed a verno mense Delphico Bysio, quo Iuppiter in serpentem conversus cum Proserpina nuptias init ad Bacchum generandum; Nonnus VI, 157: Ζεὺς ὅτε πουλυέλικτος ἀμειβομένοιο προσώπου || νύμφιος ἱμερόεντι δράκων κυκλούμενος ὁλκῷ || εἰς μυχὸν ὀρφναίοιο διέστιχε παρθενεῶνος || σείων δαυλὰ γένεια. Deinde nono mense post, Dadaphorio Delphico, Bacchus Licnites in Parnasso a Thyiadibus invenitur. Haec igitur sacra Bacchi, Proserpinae filii, in cunis inventi non nisi tertio quoque anno recurrunt; Paus. X, 4, 3: Θυιάδες γυναῖκες μὲν εἰσὶν Ἀττικαὶ, φοιτῶσαι δὲ ἐς τὸν Παρνασσὸν παρὰ ἔτος αὐταί τε καὶ αἱ γυναῖκες Δελφῶν ἄγουσιν ὄργια Διονύσῳ. Iam Bacchi pueritia et fata quindecim mensibus absolvuntur; praeterlabuntur enim primum tres menses ex priore Trieteridis anno relicti: Dadaphorius, Poitropius, Amalius; deinde integer annus, cuius rursus postremo mense, Amalio, Bacchi extrema fata et resurrectio continentur. Quamquam animadvertendum est, in eorum sacrorum temporibus usum paullulum fluctuasse. Nam mors Bacchi modo longiore, modo breviore temporis intervallo a resurrectione remota et seiuncta constituebatur. Interdum igitur, hoc est, quando id ita theologis Delphicis visum esset, mortis Bacchi memoria iam Poitropio mense, i. e. circum ‘brumam’ celebrata est, cuius rei testimonia scriptorum, qui antiquiorum litterarum thesauris nescientes fere utuntur, auctoritate ad nos transmissa sunt. Ovidius Fastis I, 393: *Testa corymbiferi celebrabas, Graecia, Bacchi,* || *tertia quae solito tempore bruma refert.* et Seneca, Hercul. Oetaeus v. 597: *Nos Cadmeis orgia ferre* || *Tecum solitae condita cistis,* || *Cum iam pulso sidere brumae* || *tertia soles evocat aestas.* Denique Bacchi in caelum adscensu, cuius testis est Origenes contra Celsum IV, p. 171 ed. Spencer: ἀναβιώσκοντος καὶ ἀναβαίνοντος εἰς οὐρανόν, tota haec Trieteris absolvebatur.

13. Tertia dogmatis Orphici de Bacchi resurrectione forma: Bacchus Proserpinae filius in Semelae filio reviviscit; ex prioris corde alter nascitur. Huius theologiae de *Anthropogonia* decreta.

Duas hactenus dogmatis Orphici de Resurrectione Bacchi quasi canones consideravimus: unum in quo post mortem Bacchus ad inferos et matrem Proserpinam descendit ibique novem menses dormiens retinetur. Deinde alterum, in quo paucis post mortem diebus Bacchus resurgit et rebus terrestribus relictis in caelum adscendit. Iam tertia huius dogmatis forma enarranda est, qua illud maxume illustratur, quod initio diximus: Orphicos theologumena sua traditis antiquitus religionibus sapienter adaptasse. Atque huius sapientiae atque dexteritatis re vera is fructus fuit, ut hic potissumum rerum Bacchicarum canon latissime propagaretur. Resurrectionis igitur Bacchi haec quoque forma excogitata est, ut posteaquam Bacchus Proserpinae filius Titanum ictibus succubuisset, Iuppiter novo cum Semela coniugio inito novom Bacchum generaret, quem post septem menses matre occisa in femur suum conderet atque nono demum mense vitae maturum in lucem emitteret. Hic novus Bacchus, Semelae filius, re vera idem est atque pristinus

ille Zagreus e Proserpina natus. Nam ex Titanum crudeli caede et visceratione Zagrei cor, solum quidem, sed intactum Minerva eripuit et hoc uno saltem pignore qualitercunque patrem consolari instituit. Atque re vera Iuppiter eo ut aliquo ad novum Bacchum creandum semine usus est; quamquam unum in hoc dogmate gravissimum nescitur: utrum illud ipse Iuppiter sacro haustu devorarit, an Semelae futurae matri hauriendum dederit. Orphici ipsi rem mysterii intemerandi instar intactam incertamque reliquisse videntur; apud Nonnum Hydaspes fluvius novum Bacchum, ut sibi suisque Nymphis parcat, precatur, quarum ope olim pristinum Bacchum laverit; Nonn. XXIV, 45: εὖτε Κρονίων || Ζαγρέα παιδοκόμοισιν ἐμαῖς παρεκάτθετο Νύμφαις· || καὶ σὺ φέρεις Ζαγρῆος ὅλον δέμας· ἀλλὰ σὺ κείνῳ || δὸς χάριν ὀψιτέλεστον, ὅθεν πέλες· ἀρχεγόνου γὰρ || ἐκ κραδίης ἀνέτελλες ἀειδομένου Διονύσου. Proclus quoque summatim universimque rem indicat in Minervae Hymno v. 13: πόρες δέ ἑ πατρὶ φέρουσα, || ὄφρα νέος βουλῇσιν ὑπ' ἀρρήτοισι τοκῆος || ἐκ Σεμέλης περὶ κόσμον ἀνηβήσῃ Διόνυσος.

In hac igitur dogmatis de Bacchi resurrectione forma pristinus Bacchus, Proserpinae filius, Zagreus, manibus Titanum interemptus et nefandis epulis a Titanibus comesus eo potissumum nomine colitur, quod ex hac morte *Anthropogonia* initium cepit. Ex Titanum enim, qui vescendo de carnibus eius Bacchum in sucum et sanguinem converterant, ex eorum Titanum fulgure percussorum favilla et cruore primi mortales, parentes nostri et genitores, nati sunt. Olympiodorus in Scholiis ad Platonis Phaedonem ed. Finckh, Heilbronnae 1847, p. 68: Πῶς ἐκ Τιτανικῶν θρυμμάτων οἱ ἄνθρωποι γίνονται; . . . ὁ μὲν γὰρ Ζεὺς πατὴρ ἀνδρῶν καὶ θεῶν, οἱ δὲ (i. e. Τιτᾶνες) ἀνθρώπων μόνον . . ., οὐδὲ αὐτοὶ ἁπλῶς, ἀλλὰ τεθνεῶτες, καὶ οὐδὲ τοῦτο μόνον, ἀλλὰ καὶ συντεθρυμμένοι. Haec profecto illa caussa est, cur in illa barbara, qualis primo hercle adspectu videtur, et cruenta imagine Titanum Bacchi coctis carnibus heluantium Orphici quasi defixi tenentur; hoc est illud quod Titanes puerum, quem Iuppiter in oculis ferebat, omnibus venustatibus perfusum et nutritum, crudelissime laniant et avidis dentibus comminuunt, ex eius carnibus gustant; Olympiodorus ed. Finckh p. 3, 28: τὰς σάρκας μασῶνται οἱ Τιτᾶνες, τῆς μασώσεως δηλούσης τὸν πολὺν μερισμόν.

14. De egregio Orphicorum invento: Eodem temporis articulo, quo Titanes Iuppiter in favillam combusserit, primas futurorum hominum animas e caelo in terram decidisse. Eae cum favilla coalitae Bacchicarum reliquiarum particulam suscipiunt.

Haec enim talia quorsum tendunt? Quid sibi volt crudelissima illa viscerationis voluptas? Respondet opinor Theologia Orphica: 'O miseras hominum mentes, o pectora caeca', fata compleri oportuit; erat ita in fatis ut homines generarentur. Illo ipso tempore, quo de Titanibus Iuppiter supplicium sumpsit, illo eodem temporis articulo primorum hominum animae ex vitae caelestis, in deorum immortalium communione prae-

teractae, summa beatitudine propter ignota quaedam scelera suscepta in hoc terrae exilium decussae sunt, qua quidem illae sorte omnium reliquarum humanarum animarum praecursores et praesules extiterunt; nam nulla anima corpus humanum intrat, quin caelitus propter culpam primigeniam demissa ad illa peccata luenda in huius corporis claustra condatur. Plato Cratylo p. 400[c]: καὶ γὰρ σῆμά τινές φασιν αὐτὸ (sc. τὸ σῶμα) εἶναι τῆς ψυχῆς, ὡς τεθαμμένης ἐν τῷ νῦν παρόντι· . . . δοκοῦσι μέντοι μοι μάλιστα θέσθαι οἱ ἀμφὶ Ὀρφέα τοῦτο τὸ ὄνομα, ὡς δίκην διδούσης τῆς ψυχῆς, ὧν δὴ ἕνεκα δίδωσι. Iamblichus Protreptico cap. VIII p. 134 ed. Kiessling, Lipsiae 1813: πρῶτον εὐθὺς φύσει συνίσταμεν, καθάπερ φασὶ οἱ τὰς τελετὰς λέγοντες, ὥσπερ ἂν ἐπὶ τιμωρίᾳ πάντες. τοῦτο γὰρ θεῖον οἱ ἀρχαιότεροι λέγουσι, τὸ φάναι διδόναι τὴν ψυχὴν τιμωρίαν, καὶ ζῆν ἡμᾶς ἐπὶ κολάσει μεγάλων τινῶν ἁμαρτημάτων. Primorum igitur hominum, auctorum et genitorum generis nostri, animae caelitus delatae cum favilla illa Titanum, a Iove combustorum, coaluerunt, eaque consociatione natura humana nata est ex elementis sane maxume diversis conflata. Sed ad haec duo elementa, illud e caelo adventicium et Titanicum, tertium accessit: Bacchi illa licet tantilla, at praestantissuma tamen particula in ipsa Titanum favilla immortaliter vigens vivensque. Haec Bacchi quasi gutta pulcherrimum est animarum humanarum per omnes palingenesiae et migrationum vicissitudines viaticum. Bacchus unamquamque sui partem secum sursum trahit; Olympiod. ad Phaedon. ed. Finckh p. 3: μέρος γὰρ αὐτοῦ ἐσμεν, εἴ γε ἐκ τῆς αἰθάλης τῶν Τιτάνων συγκείμεθα γευσαμένων τῶν σαρκῶν τούτου.

His stabilitis quaeritur nunc, quomodo in hac tertia de Bacchi resurrectione dogmatis forma Bacchus prior, Proserpinae filius, in vitam restituatur. In vestigiis vero huius historiae instaurandis Nonno duce uti licebit. Itaque post Zagrei mortem Aeon, numen maxume venerabile, preces ad Iovem convertit VII, 27: Utinam hominibus mortalibus omni aerumnarum genere fractis et sauciis nectar largiatur, quo solo miseri illi robur inconcussum adversus tot labores nacturi sint. Respondet Iuppiter apud Nonnum VII, 76: Νέκταρ ἔα μακάρεσσι, καὶ ἀνδράσιν ἄλκαρ ἀνίης || αὐτοχύτῳ γλυκὺν οἶνον ἐοικότα νέκταρι δώσω. Itaque Bacchum novum in hominum solatium geniturus est. Nuptias igitur Iuppiter cum Semela celebrat, Nonn. VII, 318, atque filium a matre immaturo partu editum in suum femur condit, deinde ipse nono demum mense post conceptionem iterum parit. Haec mensium ratio in dogmate accurate computabatur, nam Trieteris constare sibi non poterat, nisi Bacchi fata certis intervallis adstricta fuissent. Itaque quamvis iocabundus tamen universam rem recte descripsit Lucianus, quemadmodum ab *Augusto Mommsen* in Heortologia p. 68 extr. demonstratum est, cum Mercurium haec dicentem fingit in Deorum dialogis 9: ἐμὲ δὲ κελεύει (ὁ Ζεὺς) ἀνατεμόντα τὴν γαστέρα τῆς γυναικὸς ἀνακομίσαι ἀτελὲς ἔτι αὐτῷ τὸ ἔμβρυον ἑπτάμηνον· . . . καὶ νῦν τρίτῳ ἤδη μηνὶ ἐξέτεκεν αὐτὸ καὶ μαλακῶς ἀπὸ τῶν ὠδίνων ἔχει. Itaque ut tertiae illius dogmatis de Bacchi resurrectione formae summam brevibus comprehendamus: Baccho Proserpinae filio interempto ex eius corde, quod solum salvom et vivum relictum fuerat, novus Bacchus Semelae filius exoritur, qui ipse quoque Licnitae habitu lucem mundi adspicit.

15. Dogma de Proserpinae filio in Semelae filio reviviscente fundamentum fuit carminis Orphici clarissimi Διονύσου ἀφανισμός. Fragmentum de Hippa Nympha alterius Licnitae nutrice. In Orphicorum sermone quid sit κραδιαῖος.

Haec huius dogmatis forma ea re magnam auctoritatem et famam nacta et late inter Orphicae sectae cultores propagata est, quod ea tanquam fundamento illud carmen nitebatur, quo copiosissume Orphicorum de Bacchi morte theologia enarrata erat, carmen clarissimum cui titulus fuit: Διονύσου ἀφανισμός. Id carmen, quemadmodum eximie cognovit *Welckerus*, Griechische Goetterlehre II, 636 (conf. Eugenium Abel, Orphica p. 224), Onomacritus composuerat atque idem illud haud dubie est, quod Pausanias notissimo loco significat VIII, 37, 5: παρὰ δὲ Ὁμήρου Ὀνομάκριτος παραλαβὼν τῶν Τιτάνων τὸ ὄνομα Διονύσῳ τε συνέθηκεν ὄργια καὶ εἶναι τοὺς Τιτᾶνας τῷ Διονύσῳ τῶν παθημάτων ἐποίησεν αὐτουργούς. Titulum ipsum Διονύσου ἀφανισμὸς testatur Clemens Alex. Strom. VI, cap. 2, §. 26 (vol. III p. 112 ed. Klotz): Εὕροις δ' ἂν καὶ Ὅμηρον τὸν μέγαν ποιητὴν ἐκεῖνα τὰ ἔπη· Οἷον δὲ τρέφει ἔρνος ἀνὴρ ἐριθηλὲς ἐλαίης, καὶ τὰ ἑξῆς κατὰ λέξιν μετενηνοχότα παρ' Ὀρφέως ἐκ τοῦ Διονύσου ἀφανισμοῦ. Sunt igitur satis clara vestigia, in eo carmine, quod totum in Zagrei fatis enarrandis pertexebatur, quemadmodum in immortali opere Aglaophamo Lobeckius p. 552 et p. 615 ostendit, in eo igitur carmine hanc theologiae rationem regnasse, ut Bacchus vetustior, i. e. Proserpinae filius, a novo iuniore, Semelae filio discriminaretur, quemadmodum apud Nonnum fieri videmus, ubi X, 294: πρότερος Διόνυσος ab Semelae filio ὁπλοτέρῳ Βρομίῳ (Nonn. XXIV, 45) discernitur. Ambo diversi sunt, et tamen idem, quoniam ex prioris corde alter prognatus est; Nonn. XXIV, 49: ἀρχεγόνου γὰρ || ἐκ κραδίης ἀνέτελλες.

Iam igitur quo clarius illud appareat, in carmine Onomacriteo Διονύσου ἀφανισμὸς Proserpinae filium in Semelae filio revixisse, illa nunc carminis fragmenta consideranda sunt, quibus Bacchi, Semelae filii, e femore Iovis partus ratione mystica describitur; nam extant huius potissumum facti notabilia quaedam testimonia. Primum igitur obstetricis in illa re munere fungebatur Nympha Hippa nomine, quae puerulum amantissimis manibus suscepit et fovit. Hymnus Orphicus XLIX in Hippam scriptus est: Ἵππας, θυμίαμα στύρακα. Ἵππαν κικλήσκω, Βάκχου τροφόν, εὐάδα κούρην, || μυστιπόλον, τελετῇσιν ἀγαλλομένην Σάβου ἁγνοῦ || νυκτερίοις τε χοροῖσιν ἐριβρεμέταο Ἰάκχου. Deinde Proclus ad Tim. II, p. 124[d]: Διὸ καὶ συλλαμβάνεσθαι ἡ Ἵππα λέγεται τίκτοντι τῷ Διί. ὡς γὰρ εἴρηται πρότερον, νοῦν ἄνευ ψυχῆς ἀδύνατον παραγενέσθαι τῳ. Hippa igitur puerum recens natum sacra vanno excipit atque, qui est mos mulierum onera gestantium, capiti suo imponit, deinde, mirabile dictu, serpente in modum fasciae correpto vannum circumnectit, ne puer, opinor, palpitans decideret. Quae res Neoplatonicis, omnia ad allegorias et philosophiae arcana revocantibus, mirificas interpretationum ambages extorsit. Proclus ad Tim. II p. 124[c]: Ἡ μὲν γὰρ Ἵππα

τοῦ παντὸς οὖσα ψυχὴ καὶ οὕτω κεκλημένη παρὰ τῷ θεολόγῳ . . . λίκνον ἐπὶ τῆς κεφαλῆς θεμένη δράκοντι αὐτὸ περιστέψασα κραδιαῖον ὑποδέχεται τὸν Διόνυσον. Nam ita sane hic locus scribendus videtur, cum traditum sit: τὸ κραδιαῖον ὑποδέχεται Διόνυσον. Vocabulum enim κραδιαῖος Orpheo usitatum, atque ex Orpheo Proclo, illud significat, quod *cordis instar*, hoc est ʻmediumʼ est; velut apud Proclum, Hymnus in Solem v. 5: μεσσατίην γὰρ ἔχων ὑπὲρ αἰθέρος ἕδρην || καὶ κόσμου κραδιαῖον ἔχων ἐριφεγγέα κύκλον. conf. Chr. Schneiderum ad Procl. in Tim. II p. 124[c] nota 7, qui recte Lobeckii Agl. p. 582 de hoc loco disputationem eruditissimam hercle, sed nimis recondita molientem, minus probabilem pronuntiavit. De more cunas infantium aureis serpentibus circumvinciendi optime Lobeckius p. 582 disserit comparans Euripidem Ione v. 24: ὅθεν Ἐρεχθείδαις ἔτι || νόμος τις ἔστιν ὄφεσιν ἐν χρυσηλάτοις || τρέφειν τέκν'.

16. Dogma Orphicum: Bacchus in caelum adscendens agmina piarum animarum, ut sui particularum, ad aeterna aeternorum ducit. Bacchus Λυσεύς. Proserpinae filius cum Semelae filio coniunctus quam Trieteridis formam effecerint.

Bacchus igitur ex Iovis femore natus, Semelae filius, rursus Iovi patri inprimis carus et oculorum instar est, quemadmodum Orpheus significat ap. Procl. ad Tim. II, p. 124[d]: τοῦτο δὲ ὅμοιον τῷ παρ' Ὀρφεῖ· γλυκερὸν δὲ τέκος Διὸς ἐξεκαλεῖτο. Itaque Bacchus Semelae filius in Orphicorum theologia de Morte triumphans in caelum adscendit, Orphicis certe egregius animarum immortalitatis vindex et praecursor, animarum humanarum, in quibus prioris semper Bacchi aliqua licet tantilla particula habitet. Hanc Bacchi ad caeli gaudia et beatitudines adscensionem Iustinus quoque Martyr in Dialogo cum Tryphone cap. 69, vol. II ed. Otto, Ienae 1843, p. 234 testatur, quamquam is Proserpinae filium et Semelae prolem confundit, qui inter se acriter semper discernendi sunt: Ὅταν γὰρ Διόνυσον μὲν υἱὸν τοῦ Διὸς ἐκ μίξεως, ἣν μεμίχθαι αὐτὸν τῇ Σεμέλῃ, γεγενῆσθαι λέγωσι . . ., καὶ διασπαραχθέντα καὶ ἀποθανόντα ἀναστῆναι, εἰς οὐρανόν τε ἀνεληλυθέναι ἱστορῶσι . . ., οὐχὶ τὴν προλελεγμένην ὑπὸ Μωσέως ἀναγραφεῖσαν Ἰακὼβ τοῦ πατριάρχου προφητείαν μεμιμῆσθαι αὐτὸν νοῶ; conf. Weniger, Collegium der Thyiaden, p. 14. Quare Orphicis Bacchus ut liberator aliquis ex rerum terrestrium tenebris et angustiis celebrabatur, qui ex hoc huius vitae exilio, solutis vinculis, ad pristinum domicilium et in aeternam patriam rursus animas reduceret. Servati sunt ex carmine illo Onomacriteo, ut videtur, Διονύσου ἀφανισμός, versus fortasse in extrema eius carminis clausula collocati, quibus Bacchus cognomine Λυσέως canitur, cui quemvis e mortalibus se ipsum suaque omnia commendare oporteat, apud Olympiodorum in Plat. Phaedon. ed. Finckh p. 68, 27: Ὅτι ὁ Διόνυσος λύσεώς ἐστιν αἴτιος· διὸ καὶ Λυσεὺς ὁ θεός, καὶ ὁ Ὀρφεύς φησιν· ἄνθρωποι δὲ τεληέσσας ἑκατόμβας || πέμψουσιν πάσῃσιν ἐν ὥραις ἀμφιέτεσσιν || ὄργιά τ' ἐκτελέσουσι λύσιν προγόνων ἀθεμίστων || μαιόμενοι· σὺ δὲ τοῖσιν ἔχων κράτος, οὕς κ' ἐθέλῃσθα, || λύσεις ἔκ τε πόνων χαλεπῶν καὶ ἀπείρονος οἴστρου. conf. Eugenium Abel, Orphica p. 237. Unum superest, quod expediri oportet:

quaeritur, quomodo in hoc tertio de Bacchi resurrectione dogmate, in quo Proserpinae filium Semelae filius ilico post mortem citato quasi gradu sequitur, Bacchi fata in Trieteridis spatium distributa fuerint. Quae res si accuratius expendatur, non tam difficilis explicatu est, quam primo adspectu videatur. Priorem Trieteridis annum Proserpinae filius obtinuit, a Bysio mense, quo Proserpina Bacchum ex Iove concepit, ad Dadaphorium, quo nascitur in Parnasso; deinde a Dadaphorio ad Amalium, quo mense mortem puer patitur a Titanibus interemptus. Posterior deinde annus Semelae haud dubie filio destinatus erat. In anno sacro Atheniensium Bacchus a Semela concipitur mense Anthesterione, quae res in Cereris mysteriorum, quae 'parva' vocantur, quorumque locus Agrae pagus prope Athenas est, caerimoniis celebratur. Hoc quidem rectissume *Augustus Mommsen* inde collegit, quod mense Boedromione, qui septimus est ab Anthesterione, Bacchus secundum Atheniensium dogmata sacra septem demum mensium infans, hoc est vitae nondum maturus, a Semela in lucem editur. Disseruit Mommsenius de hac re ad cyclum constituendum gravissima in Heortologia p. 67, notae lin. 6; p. 68 lin. 18 ab inf.; p. 69 lin. 6 ab inf.; p. 72 lin. 7. Bacchus igitur mense Anthesterione Attico, Bysio Delphico, conceptus nono mense post nasci debuit; Lucian Deor. dial. 9: τὸ ἔμβρυον ἑπτάμηνον . . . τρίτῳ ἤδη μηνὶ ἐξέτεκεν (sc. ὁ Ζεύς). Itaque Semelae quoque filius mense Dadaphorio natus credebatur. Postremo eiusdem posterioris anni mense Amalio Bacchi in caelum adscensio celebrata Trieteridis cyclum ad finem perduxit; Iust. Martyr. dial. cum Tryph. p. 234 ed. Otto (vol. II): ὅταν . . . διασπαραχθέντα καὶ ἀποθανόντα ἀναστῆναι εἰς οὐρανόν τε ἀνεληλυθέναι ἱστορῶσι.

Bonnae typis Caroli Georgi typogr. acad.